

quibus omnis hominum conditio & sexus uti solet. In publicum nemini sine flabello prodire fas est, tametsi cœlo frigido ventos arceri quam evocari melius esse videatur; sed Majestatis potius alicujus majorem, quam necessitatis habent rationem. Ea varie conficiuntur; nam si materiam spectas, ex arundine, ligno, ebore, ebeneo, adjuncta papyro, bysso, & odorifero etiam quodam stramine constant: si formam, alia sunt rotunda, alia ovata, nonnulla etiam quadrata. Quæ sunt ex usu porro primorum virorum, è charta candida eaq; inaurata pereleganter sunt confecta, & pro arbitratu vel complicantur vel explicantur. In iis exscribi sibi sæpe jubent nobilem aliquam sententiam, aut poëma. Et hoc est vulgatissimum munusculum, quod sibi invicem in benevolentia testimonium mittunt. Nosque ipsi plenam cistulam, amicorum donaria,